LAI
A.
I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO XV. ET ULTIMA.

De

Amicitia.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit,

CHRISTIANUS OMUTH,

Dantiscanus Borussus.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Novemb.

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO XV. & ULTIMA.

De

AMICITIA.

ITa *virtus moralis* ſecundùm omnes ſpecies ſuas diſcusſa. Seqvitur *aliqvid*, qvod non præcisè virtus aut ſemivirtus eſt, ut qvidam volunt, *t. 4. 9.* Nec ei oppoſitum vitium, ſed fructus aliqvis & exercitium, vel ſtatus, in qvo commodè virt. colas ac promoveas, qvem *Amicitiam* vocare ſolemus, res Sole in mundo utilior, *Cicero Lal. t. 22. 47.* Ut feſtivè qvidam, cum ſolus cœnasſet, non cœnasſe ſe, ſed tantùm comedisſe, dicere ſolitus fuerit. Ut *Plutarch. præf. l. 7. Sympoſ.* tradit: Sic homo ſolitarius non vivere, ſed tantùm esſe dici posſit. De qvo porrò *pro clauſulâ Ethicæ* jam videndum.

2. *An ſalvâ caritate Chriſtianus cum alio amicitiam colere qveat*, primò omnium hic qværatur? Diligere enim proximum, ut ſeipſum, tenetur. *Deut. 6. v. 5. Luc. 10. v. 27.* Et omnibus ex æqvo benefacere. *Matth. 5. v. 24. Prov. 25. V. 21. Rom. 12. v. 20.* Contrarium Scripturâ patet, qvæ amicitiam jubet, *Prov. 17. 18. 27. Syrac. 6. 7. 9. ſeq. 2 2. 27. 37.* Et exempla amicorum recenſet, *Gen. 12. 20. 21. 26. 1. Sam. 18.* Et pasſim: *Et Naturâ*, Sociale enim animal homo naturâ eſt, ad ſocietatem natus, ſvetus, & promptus. Hæc autem optima in amicitiâ eſt, unde naturâ ad amicitiam inclinat natura non diſtorta, ut patet. *Ad Oppoſita nota 1. Omnis homo* diligendus, qvâ veritatem, ſinceritatem, benignitatem, & publico communiq; amore: non pari affectu & gradu qvâ benevolentiam, complexum, admisſionem, interiorem

notitiam & conversationem, ac privato specialiq; amore. Hic & DEus amandi gradus distinxit, *Gen. 2. v. 24. Matt. 19. v. 5. Gal. 6. v. 10. Eph. 5. v. 28. 1. Tim. 5. v. 8.* Et Christus Johannem magis dilexit. *Joh. 13. & 21.* Et Petrus magis Christum, qvàm reliqvi, *Joh. 21.* Et sceleratos, qvà tales, odisse possumus, *Psal. 31. v. 2. Psal. 139. v. 21. 22. Psal. 119. v. 113.* 2. *Omnibus* benefaciendum sincerè & ex animo, non dolo aut simulatè. *Qvibusdam* specialiter & majore propensione, ut amicis, cognatis, parentibus, notis, ut magis commendatos habeamus, intimiùs complectamur. Sic Joseph omnibus fratribus benefecit, sed intimiùs Benjaminum complexus est. *Gen. 43. v. 34.*

3. 2. *Qvomodo, & ubi in Eth. de amic. tradendum?* *Qvidam* in totum ex Eth. eam omittunt, ut *Gutkius, Plateanus, Goclenius, Waleus, Morisanus, Ch. Matthias, alij.* *Qvidam* ad Justitiam referunt, Ut *Conimbricens. d. 9. Eth. q. 1. a. 4. Euchstachius S. Pauli tr. 3. p. 3. q. 6. Raconis q. 2. d. Virt. m. 4. Strevesdorf. d. Jus. & J. q. 80.* *Qvidam* ad Affabilitatem, ut *Lessius L. 2. d. Just. & J. C. 47. d. 7.* *Qvidam* ad semivirtutes, ut *Zapfius d. semiv. t. 11. f. 28.* Qvanqvam *f. 10. p. 166.* Specialiter de amico tradit. *Alij* distinctè eam in Eth. proponunt, ut *Arist. 8. Nicom. Piccolomin. grad. 7. Ethica Maurit. l. 2. C. 27. Rigerus l. 2. Eth. c. 9. Scultetus, Daneus, Hornejus, Jonstonus, Velstenius, Bartholinus, Keckerm. Alstedius, Donaldsonus, alijq.* Qvos *d. 10. Dec. 3. Misc.* citavi. Et rectiùs. 1. *Virtus enim completè in Eth. tradenda,* etiam qvà effecta, fructus, conseqventia. Sed inter hæc eminet amicitia: Et ad finem moralem, felicitatem civilem, facit, non ut medium, sed ut usus, fructus, & effectum medij, virtutis, in qvo veracitatem, liberalit. Urbanitatem, justitiam, modestiam, aliaq; commodissimè exerceamus.

Civi-

Civiliter enim felix & amicos habere debet, & amicitiam intendit ac colit. *d. 2. t. 9.* In prosperis socios, in adversis solatia, in utrisq; sodales habet.

4. *2. Post virtutes de amicitiâ tradendum*, qvia fructus, effectus, & usus virtutum est, & virtutes media sunt, qvæ in eâ exerceri debent. Causæ autem antè effecta distinctè proponuntur, qvia horum distincta cognitio ab illis pendet, & usus rei post rem, non antè eam, traditur. Sic *in Georgicis* primò terra, post colere & serere eam, traditur, *in Logicis* primo notiones Logicæ, post praxis & usus earum deducitur. *3. Non ad justitiam, affabilitatem*, aut semivirtutes reducenda, non enim magis justitiæ aut affabilitatis, qvàm reliqvarum virtutum usus in eâ est, pariterq; omnes jucundè in eâ exercentur, ut non magis ad unam, qvàm alteram, referri debeat: Nec semivirtus est, hæc enim principium & gradus ad virtutem, *d. 13. t. 8.* Sed amicitia, usus, & fructus, & status, in qvo ea exercetur, *t. 1. est*; Et vel connata, qvod non, non nascimur amici, sed usu fimus, & comparamus amicos, vel acqvisita esset, at hæc incompletum qvid in virtute. Sed in amicitiâ usus virtutum perfectissimus esse potest.

5. *Vox amicitiæ Theologicè* sumitur pro spirituali fidelis cum Deo conjunctione, *Joh. 11. v. 11. C. 15. v. 14. 15. Esai. 41. v. 8.* Vel cujusvis hominis designatione, cum qvo res evenit, *Matth. 20. 22.* Vel auxiliatorem, *Luc. 16. v. 9.* Vel conjugiale obseqvium, *1. Cor. 7. v. 8. Philologicè* pro gratiâ vel sympathiâ rerum naturalium, sic, nec diis amicum est, nec mihi, *Horat. l. 2. od. 17. Philosophicè*, pro mutuâ hominum inter se benevolentiâ. Et *vel* pro relatione & statu, ut cum amicus amici amicus, *vel* fundamento, amore, & benevolentiâ, & hoc *vel generaliter*, ut in probis & impro-

 bis ille,

bis ille, ubi melius factio & conjuratio dicitur, *vel specialiter*, ut in probis & honestis. Et hoc *vel pro* habitu ac affectu benivolentiæ, qvomodo & inter dissitos amicos, ut per literas, *vel pro actu*, cum consvetudine gaudetur, & officia exhibentur. Sic maximè hic sumitur, & oppositum docet, ut cum senes, morosos, acerbos, misanthropos, ad amicit. ineptos dicimus, qvi nec consvetudine gaudent, nec officia curant. Gr. φιλία, ἔρως, Germ. freundtschafft/ kundtschafft/ gemeinschafft/ dicitur.

6. *Essentia ejus definitione, Causis, Subjectis, affectionib. effectu, diversis, & oppositis* explicatur.

7. *Definitio* est, *Amicitia est benevolentia vera, nota, aperta, & actuosa qvorundam inter se mutuò, honesti & amabilis boni gratiâ exercita.*

8. *Genus est benevolentia*, qvæ amoris & voluntatis propensio in alium ob se applicata est, h.e interni affectus in alterum extensio & promotio, qvâ benè ei cupitur & facitur. *Ob se*, qvia res interdum ob aliud amatur, ut usum, commodum, delectamentum, velut supellex, pecunia, Musica, vinum, qvi *amor concupiscentiæ* dicitur. Sed hic propter se amare, & rei per se & ob se bonum cupi debet, qvi *amor benevolentiæ* dicitur. Sic amatur vinum ob usum & suauitatem ejus. Sed nemo Ethicè & propriè amicus vini dicitur, velut amica luto sus generali sensu dicitur, *t. s.* Amicus tantùm per & ob se amatur, ut fundamentum amandi ipse amicus sit, non ob usum, jucunditatem, necessitatem, commodum, aut aliud qvid. Sic enim magis necessitas aut commodum, qvàm amicus ipse amatur. Et hoc non constans, sed transitorium esse solet, qvod non in verâ & Ethicâ amicitiâ. *Hic amor benevolentiæ vel ut habitus* spectatur, qvo simpliciter aliqvid bonum cupitur,

undè

undè interdùm amicitia est. Sed hoc non præcipuè hic attenditur: *Vel ut actus*, & habitus in actum, affectus in effectum, & cupere in facere, cogitatum in operatum vertitur. *Ita* inprimis hic sumitur.

9. Hoc modo benevolentiam sumptam *verum amicitiæ genus* esse, patet *remotivè & positivè. Remotivè*, qvia aliud accuratum dari neqvit. Non *est virtus, ut Rigerus & Goclenius* volunt. Virtus enim habitus totaliter ab nostrâ potestate dependens est. Sed amicitia nec habitus, sed actus, nec ita pendet, sed & ab eo, qvi amatur & redamat. Et virtuosus aliqvis esse potest, ut cum nullo amicus sit, ut solitarius, Eremita: Virtusq; propriè fundamentum amic. est, non ipsa amic. *t.4. Nec affectus*, ut *Daneus*. Hic enim naturale & connatum qvid, amicitia morale & comparatum; Ille indifferens, hæc magis ad bonum determinata, non ut virtus, sed ut ejus usus & fructus, *t.1. & 4. Nec caritas*, ut *Sculteteus*, aut amor, ut *Piccolomineus Gr.7. C.3.* hæc enim etiã affectus sunt, & in amicitiâ caritas ac amor est, sed non ipsa am. est; Actus enim & extensio aut applicatio amoris est, *t.8.* Nec *unio* vel conjunctio, ut *Keckerm. Timplerus, Velstenius, Alstedius C. 26. Eth. 3. Krakevitz d.13. Eth. t. 31. 32.* Non enim amici in amicitiâ uniuntur, qvomodo unio est duorum in tertio conventio, sed in virtute, aut utilitate, jucunditate, similitudine, &c. Et amicitia *causa efficiens* unionis in aliqvo est, per qvam amici in tertio junguntur. Sic per amicitiam David & Jonathan uniti & juncti fuerunt in virtute, *1. Sam. 18.* Non ipsa eorum junctio vel unio fuit. Et unio relatum qvid est, transcendentale vel prædicamentale. At amic. primò absolutum qvid, actus, usus, fructus, *t.4.* Secundò relatum, & inter amicos relatio est, sed amicitia ipsa rel. non

est, ut

est, aut per eam ut gen⁹ definienda, sed principaliter aliud qvid, *t. 8.* Qvod pro genere ei assignandum, *t. 10.* Et relationis non solet esse efficacia. Sed amicitiæ in civilibus ingens est eff. *V. Ciceronem in Lælio.* Nec est *semivirtus, justitia, affabilitas*, aut simile qvid, *t. 4.* E. maximè benevolentia ex genere suo erit.

10. *Positivè*, qvia essentialiter ei competit. Bona volitio enim in amicitiâ ita reqviritur, ut amicitiam non concipere valeas, qvin bonam volitionem concipias, ut humanitatem non sine animalitate, hanc sine vitalitate cogitare qveas. At qvod ita est, essentiale rei est: *Et latior est eâ*, nam & in eum fertur, qvi non redamat, ut David in Absalonem, *1. Sam. 12.* Et in ignotum, ut miserum, de qvo audimus, sic in Germanos à furiis militaribus excruciatos, Christianos in Turciâ captivos; *Et in benevolendo* sistere potest, ut opitulatio & auxilium non addatur, qvod non in amicitiâ, qvæ volita vertit in opera, *t. 8. E.* latior amicitiâ, ubi mutuus amor, notitia, & actualis succursus reqviruntur. E. verè genus ejus esse potest.

11. *Cætera ad differentiam* spectant, & à propriis, subjectis, & causis sumpta sunt. A propriis benevolentia determinatur, ut *vera, nota, aperta, actuosa, & mutua* sit. *Vera*, non falsa, simulata, insidiosa: Ut consensus cordis, oris, & operis adsit. Secus multi amici ore & gestu, non corde & affectu, qvi amici nominales & nuncupati, non Ethici & morales sunt, *V. Syrac. 6. v. 8. 9.* Amicus in pectore nasci debet, non atrio, *t. 14. 15. Nota*, ut à benevolentiâ in ignotos distingvatur, *t. 10. Aperta*, ut ab occulto amore distingvatur, qvo amamus, qvi non novit se amari, eoq; redamare neqvit, etsi aliàs notus. Amici enim dicuntur, qvorum nota & aperta inter se benevolentia.

V. 8. Nicam. C. 2. 4. Actuosa, ut non in nudo affectu aut habitu sistat, sed cogitata vertat in opera, *t. 8. Officiosa* enim esse debet, non tantum benè velle, sed magis benè facere. *Cicer. in Lal.* Officio sublato amicitia interit. Sic illud, multas amicitias silentium diremit. *Item*, Non sunt amici, qvi procul sedes colunt. *Mutua*, ut ab amore dist. qvi in non redamantes ferri potest, *t. 10.* Amicitia amat & amatur, amor activus & in hostes, aversos, ignotos, inanimatos, insensatos, irrationales, fertur, qvi non redamant. Sed hìc illud Hecatonis valet: *Si vis amari, ama. Senec. Ep. 9. Et activus amor præstantior passivo*, nam & agere in bonis melius, qvàm pati, & laus virtutis in actu est, & hinc plus benignitatis, qvam indè: *Etsi passivus sit appetibilior*, & pleriq; amari, qvàm amare, malunt, Opinionem enim virtutis concitat, ac honorari se censent, qvod plerisq; naturâ insitum. *V. d. 10. Dec. 3. t. 10.*

12. *E subjectis qvorundam inter se dicitur.* Subj. amic. sunt *homines*, non beluæ, Angeli, Spiritus, plantæ, aut insensata. Hæc enim moralium propriè non capacia, *d. 3. t. 4. Et qvidam* ac pauci, non omnes aut multi, nam & rara virtus est, qvæ fundamen hic amicit. *t. 3. 4.* Rari qvippè boni. *Juvenal. Sat. 13.* Et amor sincerus, actuosus, ac mutuus rarus, facilè enim homines mutantur; diu explorandus amicus, sæpè magis ἀρεσκος, qvàm φίλος, Placentinus, qvàm amicus, & ex formâ, non vero est: Et *Scriptura* πολυφιλίαν cavere jubet, *Syrac. 6. v. 6. 7.* Et gentiles consentiunt. Sic *Pythagoras:* Multis manum ne injeceris. *Hesiodus*, nec multorum, nec nullorum hospes sis. *Seneca*, Omnes habere amicos operosum, non inimicos esse satis est. Et ex multiamicitiâ varia incommoda, confusio, rixæ, inæqvalitas, distractio, oriuntur. *Qvot*

autem amici habendi, ex conversandi commodo, virtutum meliore exercitio, mutuo officio, beneficio, communicatione, æstimandum. Perfectissima inter duos est amicitia. Ut David & Jonatan, Damon & Pythias, Cicero & Atticus, &c. *Ex fine & impulsivo honesti & amabilis boni gratiâ exerc.* dicitur. *Honesti*, i. e. virtutis, hæc enim primarium hic: *Amabilis*, i. e. commodum, utile, jucundum, socium, hoc secundarium, ut adjutores, fautores, hilaratores, socios in omni statu habeamus. *V. t.3.*

13. *Causa amicit. efficiens* prima Deus, qvi hominẽ sociale animal fecit, *& secunda*, Natura, occasio, indigentia, utilitas, sic copia pater, inopia mater amic. Veteribus dicta, *Piccolom. gr. 7. c. 5.* Etsi inopia privativum qvid, & sic positivi causa esse neqveat, qvod *Evenius d. 22. t. 2.* regerit, non enim Physica & naturâ influens, sed moralis & stimulans causa est, sic peccatum ad qværendum Salvatorem, paupertas ad beneficum incitat. *V. Horat. lib. 3. od. 24. Et lib. 2. Ep. 2. Plautum Stich. a. 2. s. 1. Persium prol. sat.* Aeqvalitas, ut si vis aptè nubere, nube pari, ulli fidere, fide pari. Inæqvalium enim dura amicitia. *V. Curt. l. 7. C. 3.* Sic inter senes & juvenes, morosos & lœtos, qverulos & securos, ingrata amicitia, nisi mentium æqvalitas accedat. *Vt Arithmetica*, ubi officiorum & status vitæ æqvalitas est. Nam ubi hic nimis variatur, sœpè amici. desinit, ut inter Periclem & Anaxagoram, *Laert. L. 2. C. 3. Vel Geometrica*, Cum æqvalitas proportionis est, etsi status dispares, ut favore imperantis, & obedientiâ parentis: Virtus alterius, qvæ ad amandum incitat, consvetudo, propinqvitas, utilitas, jucunditas, aliaq;.

14. *Finis, qvi vel civilis*, ut felicitas civilis, *vel spiritualis*, ut Dei gloria, *vel specialis*, ut honestum, jucundum,

dum, utile, *t.12.V.c.l.t.14.* Inhonestum pro amico non agendum, nec ab eo id petendum: Incommodum agi potest, si aliter non detur. Sic ære alieno amicum obsidem liberabis, & Creditorem potius differes. *Materia in quâ Subjectum est, t.12. Forma* ipsa benevolentia & am. est. *t.8. Affectiones am.* attributa, officia, & effecta esse possunt. *Attributa* necessitas, jucunditas, dignitas, utilitas, & raritas sunt. *V.c.l.t.15. Officia* sunt munera ab amico occupanda. Ut amor, benevolentia, concordia, benificentia. *Amor* sincerus, fidelis, magnus, & constans esse debet. *V.t.11.* Non illud *Biantis* cogitandum: ama, tanqvam osurus, qvod *Aristot.* invertit, *Cicero* adversum amic. ait, nec Philosophi, sed impuri hominis putat, aut de amicis in malos degenerantibus capiendum. *Benevolentia* bonum amico velle, optare, curare, & exhibere debet, & incommodum, si boni rationem habet. Sic amaram potionem ob sanitatem, frigidam aut vinum negare ob febrim.

15. *Concordia* animorum consensus de utili & agibili est, Sic velle & nolle ambobus idem, & amicus unus animus duobus corporibus inhabitans est. *An hæc in dissensione religionis esse qveat, qværitur?* In civili amicitiâ, ubi virtus civilis attenditur, non spirituali, ubi spiritualis, ut religio, & dissensio in secundariis, non toto fundamento, ac ὁμόνοια & animorum, non ὁμοδοξία & opinionum unio hic esse potest, ac inter errantem & erronem, seducentem & seductum, seminantem & consentientem, pertinacem & lenem, contradicentem, & nudè errori adhærentem, aliaq; hic distinguendum est, non enim diversitas religionis tollet vinculum humanitatis, nec una religio omnium civilium scopus & gradus est, ut rigidiores *Papistarum, Theologorum* qvorundam, *Zelotarum,* & similium

censent,

censent, secus nec gentilibus amicitia aut Respublica fuisset, ut plurib. *t.17.dec.3.* dictum. *Conf.d.8.t.19.h.loci.* *Sic* in Apostolis Christus errores de mnndano regno dissimulavit, & toleravit. *Matth. 20. Luc. 22.24. Act.1.* Et tamen amicos vocavit, & qvidem spirituales, *t. 5.* Cum in ipso errore hærerent. Exemplum nobis in simili relinqvens. Ita hic loci exempla conjugum religione divertentium, cœtera conjunctissimè viventium, sunt. *Monica* Augustini mater cum Viro Manichæo conjunctissimè vixit. *Meisner. p. 1. Ph. sob. s. 2. C. 3.* Si alter religionem oppugnet, irrideat, blaspemet, idq; freqventer agat, vix inter tales & civilis amicitia constabit. Plurib. *Tr. d. Communione Sanctorum C.5.* de hoc dicam. *Beneficentia amoris & affectus*, ut factis, ergà amicum contestatio est. *Hic amicorum omnia communia, qvæ naturâ sui & salvâ honestate usu communicabilia sunt.* Non uxores, ut *Plato & Anabaptistæ* volunt; Ut *c. l.* dicam. *Et* vitia dissimulanda ac tegenda, non exagitanda vel revelanda, moresq; noveris, non oderis.

16. *Effecta amicorum inter se* auxilium aliaq;, *ad alios* variarum virtutum promotio sunt. *V. 8. Nicom. c. 1. Cicer. Læl. Divisio ex objectis in primariam*, qvæ proborum ex probitatis cognitione exsurgens, & ad honestam vitæ conjunctionem deducens, *& secundariam*, qvæ ex amabilis secundarij cognitione exsurgens, ad utilem aut jucundam vitæ conjunctionem deducens, est. *Utra hic præferenda?* qværi solet. *V. Dec. 3. d. 10. t. 21. Ex subjectis & statibus in spiritualem*, qvæ Theologici fori, *t. 5.* *Et civilem*, æqvalem & inæqvalem, privatam & publicam, Consvetudinariam & Consangvineam, *Ex gradibus* in intensam & remissam, ut inter hostes conciliatos, qvibus cum cautione aliqvâ fidendum est, *V. Syrac. 12. v. 10. Camerari. C. 1. C. 92. V. c. l.* dividitur, &c.